

De immortalitate

Illi amici mei qui explorationes viscerum montium colunt etiam igne summopere delectantur. Vespere post talem explorationem in domu montium ignis magnus incendi solet, et ad novum annum celebrandum magnae copiae ignum artificiosorum inflammantur.

Eum amorem ignis ex miseria explorationum subterraneorum exortum esse suspicor: mentefingas te mox ventre per cuniculos limosos tam angustos serpentem ut galea tua saepe saxis impellatur, mox te ad funem accinctum supra puteum altissimum haerentem cuius solum lucerna tua illuminari nequit; usus funerum experts et subito restibus obstructus magna voce clamas ut amici tibi auxilium afferant ad funes enodandas; nonnumquam lacus et flumina subterranei tibi natanti sunt transeundi; denique frigore in ossa penetrato laborans summis viribus in funem eniteris ut illo exercitio arduo membra tua rigida et dolenta calefiant. Nonne illecebra ignis magis quam omnia promissa caeli te alliceret?

Aliquot ante annos illam potionem mirabilem Germanicam memineram quae *potio forcipis igniferis* appellabatur. Ea potio annis trigesimis in Germania innotuit cum pellicula eodem nomine facta esset; ea pellicula etiam nunc omnibus Germaniis est nota, et in fine anni a discipulis universitatis illam potionem bibentibus spectari solet. Ad eam potionem parandam primo vinum rubrum aliquot condimentis et quadris malorum Sinsensium immixtis tarde calefacitur; tum forceps supra illam ollam ponitur in qua vinum continetur. Conus sacchari in ea forcipice collocatus et rhomio imbutus incenditur ut saccharum calore liquefactum in vinum stillet. Dulcitus et suavitas illius potionis magni aestimantur quibus qualitas ebrietatem efficiendi occultatur.

Illam potionem post explorationem arduam cavernae alicuius in domu montium paravi. Spectaculo sacchari incensi etiam plus quam sapore amici mei summopere delectati sunt, et amica statim poposcit ut eam inducerem quomodo illa potio paranda esset. Anno proximo inter festam finis anni illa potio rite parata est: cum eo tempore plus XL homines illum domum montium visitarent, non tantum unum sed tres coni sacchari usurpati sunt qui in duobus forcipibus igniferibus concatenatis supra quinque litras vini bullientis sunt positi. Antequam ea frusta sacchari rhomio fusa sunt, luce extincto omnes hospites in cucina congregaverunt ut illo ritu incendi interest. Subito flamma tam magna ex olla emicat ut tectum cucinae attingeat: illa amica quae ritum perfecit rhomio fortissimo ex Austria importato usa est. Obstupefacti et summa admiratione affecti speleologici illam potionem incensam aspiciunt. Cum unum eorum voce submissa amico se iam de illa potione mirabile comperisse dicere audiam me inter speleologicos Anglicos immortalem fore intellego.